DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO. 1174

1174

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS IV. FEBRVARII.

M. NICOLAO RICHARD, Doctore Medico, & Scholarum, Censore, Moderatore.

An Rheumatiſmo Sudorifica?

ARTES eſſe quaſdam quæ laborem & moleſtiam artificibus, vtilitatem & auxilium ijs qui vtuntur impertiant, in arte Medica experiri cuique licet: Medicus naturæ miniſter vt ſuo perbellè fungatur officio, non tantùm in curandis cujuſcumque generis morbis inſudat multùm & invigilat, ſed præſertim in ijs, eorumque cauſis cognoſcendis, quibus incognitis fruſtra præſcribit remedia, non intellecti nulla eſt curatio morbi. Hinc inſanabiles plerique morbi, quia incogniti; hinc præmatura moriendi neceſſitas nulla reparabilis arte, ob neglectam morborum & cauſarum cognitionem certam, licet veriùs cauſæ prophylaxis quàm medela debeatur. Noli tamen Medicinam floccifacere, quod immortalitatem neſciat, & homines ſenio confecti eius ope non rejuveneſcant? præfixus à Deo Opt. Max. vitæ terminus Medicinæ neceſſitatem nòn excludit, quos abſolutè non ſanat Medicina, ijs tamen eſt auxilio, dùm juſtam vivendi legem & exquiſitam non inutiliter decernit, à lauta & opipara menſa in ſimplicem & frugalem victum mutationem quibuſdam in morbis remedium ſalutare fuiſſe, quis ibit inficias? quorum verò curationem novit perfectam, non à ſymptomatum ablatione, (quibus nulla debetur medela,) ſed à cauſæ morbificæ profligatione methodica auſpicabitur Medicina, quę etſi conjecturis nitatur, quæ ſua ſunt certa cùm ratione curat, quamvis ſuum finem ſemper non aſſequatur: morbos omnes velle ſanari ſtultitiæ argumentum eſt.

VISCERA quæ vitæ fovendæ ac prorogandæ deſtinata ſunt, calore vigent luculento, qui quamdiu modum ſervat, ea bene conſtituta habentur, vt caloris moderatione vel exceſſu, viſcerum integritas vitiumque innoteſcat: at ille ſæpiùs exuperat, hinc multis morbis occaſio naſcitur, præſertim doloribus Rheumaticis, qui ab vno viſcerum fervore, maximè hepatis, emanant: calidâ ſiquidem intemperie malè moratum nutritium illud viſcus pro laudabili quem condere debet ſanguine, humorem reponit nimis bilioſum, ſalſum & acrem, quem adulterinam tanquam ſobolem ſibique infenſiſſimam reſpuens, omni niſu à ſe longè latéque promovet; & in varias partes confeſtim amandat; in vaſa primùm maiora, dehinc in minora, tandem in minima, è quibus in habitum corporis per ταυσίωσιν eructatur: vbi ob ſubſtantiæ tenuitatē & vernaculam mobilitatem hòrſum vorſúmque variè impulſus, fugaces & momentaneos excitat Rheumatiſmi dolores, quos melancholici ſucci frigiditas, & innata ſanguinis dulcedo nuſquam movere valent. Vnùm ergo præ omnibus ſerum, aquæ impar, perenni hepatis æſtu genitum, vberiore acrioréque ſale conſperſum, in corpore ſtagnans, & copiâ luxurians, hos ciêre cruciatus aptum natum eſt, dum à robuſtis partibus internis illius ferocientis pruritum ac titillationem ægrè ferentibus, in externas & debiliores amandatur; à quibus improviſo motu, modo in hoc, modo in alıud latus evomitur, nullibi locorum deſidens; ſæpe ſine rubore aut tumore, non ſemper ſine febre licet periculosè, perioſtium membranoſumque genus acuto dolore crucians atque exercens; hinc perenni bellorum ſegete naturam oppugnat, nec priùs quieſcit quàm novum ſibi quæſiverit hoſpitium, hoſpitij neſcium; adeóque non alia dici poteſt huius bilioſi, ferini ac mordacioris ſeri Rheumatiſmum committentis, quàm gratioſi & alibilis humoris ſcaturigo, vt vnde vita, inde oriatur exitium.

DESVLTORIVS Rheumatiſmi dolor, æſtuantis jecinoris dura & crudelis fœtura, vt nulli ætati, nullique ſexui, nec ijs quibus magna ſunt viſcera, infelixque ingenium parcit, ſic nullis corporis partibus ignoſcit; aliquando tantâ vbertate circumfluit humor ſeditioſus Rheumatiſmum pariens, vt vix vllum ſit membrum vel externum vel internum, quod oberrantis & laſcivientis iſtius humoris ictus declinare valeat, ita vt non pauciora ſint ſupplicia quàm membra: nec tantùm humor iſte calore fervidus, corruptione ingratus ab internis irruit in externas, & à ſupernis torrentis in morem vel confertim in ſubditas præceps devolvitur, & roris inſtar guttatim depluit; ſed etiam contrario penitus conatu, relictis corporis pomœriis, penitiora ſubit, & fractis inferioribus naturæ valvis, ſupernas impetit partes, abſque vllo etiam ſanitatis diſpendio; quis neſcit bonis ægrotantium rebus aliquando refluere humorem à partibus infirmis ad robuſtas? Hinc malè Catarrhi nomine donatur Rheumatiſmus, dolores erraticos externum corporis habitum occupantes, ab effera materia vltrò citróque pervolitante, ſignificans; multúmque differt ab vlceroſa Laſſitudine & Rigore, licet perſæpe conſocientur; nec etiam parum à Cauſo, quamvis materiâ affinis: lubricus tamen eſt illius in Arthritidem tranſitus, cuius veluti prodromus iure perhibetur, infirmos naturâ articulos frequentiùs invadit, quos diris tormentis affligit, quæ vt nocturna exacerbatione, ita etiam contumaciâ venereos cruciatus æmulantur.

LICET feroſa illuvies morbis levioribus ac vix duraturis doloribus locum faciat, eò tamen contumacior morbus eſt Rheumatiſmus, quò mobilior illius materies omnis ſedis impatiens, coctionis ornamentum recuſans, ægrè ac ne vix quidem convenientibus ipſis prĉſidiis morem gerit, & niſi ſedulâ gnaváque ſolertiâ illi proſpiciatur, dirum morbi genus evadit. Tantę ergo dolorum acerbitati vt medeatur, priùs ęſtuantibus viſceribus contemperandis conſulendum, quàm de leniendis & demulcendis Rheumatiſmi doloribus acerrimis cogitandum: Calidis itaque medicamentis imprimis parce; juſculorum potiùs frequens ſit vſus, & ptiſanæ ex hordeo & radicibus cichorij & nenupharis paratę larga potio: alvus ſollicitetur ſæpius enematis refrigerantibus & emollientibus; nec parum proderunt emulſiones ex ſeminibus frigidis majoribus contuſis: ſed præ cęteris opitulandum erit venæ ſectione multoties ex partibus ſuperioribus & inferioribus, non trepidè ac cunctanter celebrandâ, tanquam tutiſſimâ inflammationum anchorâ, ſeu foris ſeu intus ſæviant (quicquid clamitet Empiricorum & Medicaſtrorum quorumdam ignorantia,) hâc impurus imò corruptus in Rheumatiſmo ſanguis quâ data porta detrahitur, & quamvis humor iſte efferus, volubilis & tenuis ad ſui excretionem te invitet; abſit ne ementito orgaſmo deceptus, de catharſi mediteris; nec enim in Rheumatiſmo turget materia, ſummumque in feſtinatione periculum eſt, ſicut in morâ ſecuritas: ſatiúſque erit tardè ac lentè ferocem & malignum iſtum humorem coërcere ac evacuare blandioribus ac mitioribus medicamentis, vt multâ caſſiâ & paucis foliis orientalibus, quàm valentioribus pharmacis exagitare quibus ægreſcit: fuge ergo dacrydiatorum genus omne, doloribus Rheumaticis venenū infenſum, vt electuariū diacnicū, de citro, de ſucco roſarum: apage pilulas, colocynthida, ſyrupū de rhamno, omniaque diuretica & jdrotica medicamenta, quibus licet feroſa educantur, nimiopere exaſperatur humor ſupra modum ferociens: miſeri quidē & infelices quibus per aliquod tempus dolores dederint inducias, provocatis ſudoribus, his quippe quò fuerint copioſiores, eò viſcera magis exæſtuant, & dolores paulò poſt maiori cum detrimento recurrunt; jdroticorum vi atque ardore concitatus ſanguis ebullit magis & efferveſcit, tenuiorque ac ſubtilior factus, noviſque ſtimulis agitatus, omnes corporis partes penitiùs ſubit atque permeat; novos denuo & atrociores dolores excitaturus.

SVDORIFICA, quorum immenſus penè numerus, ſive domeſtica, ſive exotica, inſigni calore & eximiâ quâ pollent partium tenuitate, colliquandi potiùs quàm ſudoris provocandi vim obtinere ita conſtat, vt eorum largo potu corpus attenuatum exareſcat potiùs, totúmque macie conficiatur, quàm copioſo ſudore diffluat. Sudores vt & lacrymas fieri eliquato ſanguine quis ignorat? nec è ſolo corporis habitu, ſed & interdum è prĉcordiis moveri, in quibus fons eorum prĉcipuus: qui ſi vi morbi, balneis, aut laboribus, alijſque ſimilibus de cauſis fiant & excitentur, nequaquā juvant: hinc qui Thermarum vſu eliciuntur ſudores, plus afferunt detrimenti quàm emolumenti. Qui & obfirmatis & recentibus Rheumaticis conflictantur doloribus, ſi forte Borbonienſes Archimbaldicos fontes adierint, belli quandoque redeunt, vt æſtum ferant leviùs & habitiores fiant; dolores poſtea reviviſcunt acerbiores & atrociùs feriunt, quàm anteà, excitatis tamen à liberali iſtarum aquarum potu ſudatiunculis, relicto ſcilicet fomite, nec emendatâ viſcerum intemperie; hæ ſiquidem vt juſculis parandis, ſic fervidis viſceribus contemperandis omnino ſunt ineptæ, licet obſtructa reſerent & meatus aperiant; & Impluvium, ſeu ab iſtis aquis ex alto cadentibus partis dolentis irrigatio, leve & momentaneum aliquod laborantibus ſolatium afferat, partem afflictam roborando. Sudorifica eiuſdem ferè naturę cum iſtis aquis, aut etiam calidiora, mitigandis atque edomandis Rheumaticis doloribus minimè proſunt, quę humores in habitu corporis ſive membranis ſive muſculis impactos diſcutiendo, intemperiem jecinoris prĉfervidam prĉcipuum Rheumatiſmi auctorē alunt & adaugent: hinc à frequenti eorum vſu exhauſta ferè omniū corporis partiū aquosâ humiditate, retorrida fiunt viſcera & exareſcunt, ſanguis incandeſcit, bilis ſtimulus magis atque magis acuitur; & reſolutâ tenuiori humoris qui in habitu corporis deliteſcit portione, craſſiore in tubulis venarum & prĉcordiis relictâ, veluti fomite brevi redituri morbi; dolores de novo excitantur non momentanei & errabundi, ſed fixi & permanentes, fugacibus & ſuccedaneis, tantò ſæviores quantò incuneata materia mobili minùs eſt morigera.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Non ergo Rheumatiſmo Sudorifica.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Iacobus de Bourges.	*M. Jacobus le Meneſtrel.*	*M. Michaël du Pont.*
M. Petrus Legier.	*M. Carolus Briſſet.*	*M. Petrus de Merſenne.*
M. Nicolaus Robin.	*M. Nicolaus Bonvarlet.*	*M. Andreas Guyet.*

Proponebat Lutetiæ PAVLVS MATTOT, Pariſinus. A. R. S. H. M. DC. LXVI.